

University of Toronto
Centre for Medieval Studies

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

9th September, 1977.

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, one on each side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. A plot against King Henry V

Et dum deinceps in castro suo Porcestrie super transitu suo per morulam expectasset, ecce adhuc deus volens experiri constanciam electi sui, permisit eum iterato temptari, et tundi etiam alio die turbacionis malleo, nam adversarius noster diabolus, qui semper invidet omni bono proposito, intravit in corda quorundam qui prope erant a lateribus eius, videlicet in dominos Ricardum comitem Cantebrigie, consanguineum suum germanum, Henricum dominum Lescrop, de sibi magis domesticis et qui secretis regiis vix fuit alicui tercius in regno, necnon in Thomam Grey, militem famosum et nobilem si non eum hec prodicionis macula violasset. Quorum crudelis demencia et crudelitas, corrupta libidine dominandi set potius odore promissorum vel munerum Gallicorum, non solum in impedimentum propositi itineris set etiam in Regie necis excidium nimis atrociter et inhumaniter conspirarunt. Set qui sedet super cherubin et intuetur abissos et scit quam vane sunt cogitationes hominum cito liberavit iustum ab impiis et revelavit iniquitatem Iude et prodicionem malorum per dominum de Mortuo Mari, comitem Marchie, cuius innocenciam in hoc exiciali proposito attemptassent.

2. Accessus Homeri

Homerus in greco sermone fecit duos libros, Odissam et Iliadem, in quibus imitatur eum Virgilius, in prioribus VI in Odissa (quod laudatorium carmen est: ode enim est laus; sicut enim ille Ulixem in Odissa suo libro maris ostendit pericula vicisse, ita iste Eneam), in Iliade in posterioribus VI. Ilias est fabula de destructione Troiae composita, in quo eum iterum

2. (contd.)

Virgilius imitatur in Turni bello et Eneae. Virgilius vero quia non plenarie cuncta descripsit, Homerus quidam latinus Homerum grecum in ea parte imitatur, et est eius intentio vel hunc Grecum imitari vel troianum bellum describere. Materia sua est vel Troia vel Grecia, utilitas cognitio troiani belli, vel aliter, materia sua sunt personae de quibus facto illicito coniugio ortum est bellum, intentio sua est dehortari quaelibet ab illicito coniugio, unde offensam deorum incurrat, uti Paris et Helena ac suorum fortiores qui destructi bello cum Troia perierunt. Utilitas est ut viso interitu reorum superum maiestatem tam levi quam gravi delicto timeamus offendere. Ethicae subponitur. Dividit quoque carmen in tria: propositionem, invocationem, narrationem. Propositionem et invocationem commiscet, narrationem incipit ubi dicit: Conficiebat enim.

3. The abbot of Battle writes to his superior

Omnimodam reverenciam tanto patri debitam cum honore. Reverende pater et domine, novi satis quod innata vobis bonitas et grandis affectio quam geritis ad augmentum religionis monastice, vos appetere faciunt prospera audire de personis monasterii nostri, quia solet esse de infirmis applausus iocundior, cum affuerit sanitas non sperata. Scire velit vestra paternitas reverenda, quod a tempore quo suscepi onus regiminis monasterii nostri, fratres mei omnes et singuli, spretis insolenciis, si quibus dediti fuerint, sancte religioni se aptant in omnibus et conformant, et quicquid boni agendum sit, gratis perficiunt non coacti; floret inter nos mutua dilectio, viget caritas, et quilibet de fratris sui prosperitate letatur integre tanquam de sua, et hii de quibus fuit presumptio ad obliquum, sic sua opera moderantur, quod ablata vetustate efficiuntur in omnibus novi viri. Credo firmiter quod torpente pastore vel a gregis custodia totaliter desistente, oves faciliter feruntur in devium, et meo iudicio sunt quodammodo excusandi, nam si quilibet seipsum sciret perfecte custodire et dirigere in agendis, non esset necessarius ordo vel dignitas prelatorum. Sane pater reverende, quicquam fuerat in monasterio nostro

3. (contd.)

horridum vel enorme, taliter est mediante Dei et vestro adiutorio reformatum, quod si fas esset antiquorum locorum nomina permutare, locus noster posset dici verius Pax quam Bellum. Placeat paternitati vestre precipere michi vestro, siquid possem facere vestris votis, quia ad vestra precepta me inuenietis in omnibus satis promptum, nam bona fide pro ceteris mortalibus de reverenda paternitate vestra fiduciam habeo specialem, quam ad augmentum religionis monastice custodiat ipse Deus.

4. Satan's promise to Eve

Sed iam singula serpentis uerba prosequamur:

Nequaquam morte moriemini. Iam derisor est et dubia respondet, ut cum Dei ueritas impleta fuerit, nihilominus tamen ipse ueracem se esse cum hostili cachinno confirmet. Nam cum duae mortes sint, altera animae et altera corporis, quadam morte non statim erant morituri, scilicet ea quae animam a corpore diuidit. Non enim quia comederunt, idcirco corporaliter eodem die mortui sunt: sed quia comedendo mortem animae sibimet eodem die consciuerunt, idcirco misericordia Dei corpore mortales facti sunt, ne sicut ipse diabolus irrecuperabiles essent, male et misere uiuendo in aeternum.

Igitur quemadmodum Apollo Delphicus fertur solitus fuisse incertis ludere ambagibus, sic iam nunc ludebat idem Dei et hominum inimicus aequiuocatione mortis nequiter abusus odibilium sophistarum maximus. Qui enim sophisticè loquitur, ait quidam sapiens, odibilis est. Nihilominus et cetera quae sequuntur aequiuocando cuncta confundit ac perturbat alio sensu loquens et alio sua dicta intelligi uolens. Scit enim Deus, inquit, quia in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, etc. Hoc utique uolebat intelligi, quod claritatem omnis sapientiae, diuinitatem quoque et omnium scientiam Deus inuidens homini tale lignum illi interdixit.

:CMM